

EMBLEMA V.

Pacis & Belli consortium.



V.

Eodem tendat uterque.

Sunt eadem haud semper, variè sed tempora mutant.

Mox sunt Mauortis, quæ modò pacis erant.

æu it, & opponit paci discordia Martem.

In quorum bona sunt, vel mala cuncta manu.

O quanto melius connectitur Ensis Oliuæ!

Et Mars cum placidâ Pallade fœdus habet!

Numinis haud mens est paci committere Martem,

Sed vult vt Martis pax statuatur ope.

Hinc Marti, & paci finem præscripsit eundem;

Qui sit regnorum publica prosperitas.

Bella gerat Mauors, sed non nisi Pacis amore;

Si pax non iubeat, Mars neque bella gerat:

Sed sedeat pingui frontem redimitus oliuâ,

Et pacis studeat prosperitate frui.

Ne tamen ignauum faciant longa ocia Martem,

Sed sit, quo quondam bella futura gerat,

Prouida curatis Martem pax instruat armis,

Præsidia & belli, dum viget ipsa, paret.

Commune officium est placidè coniungere dextras,

Et dare communi tempora fausta rei.

Arma parent pacem; pacem tueantur & arma;

Sed pax Mauorti comparet arma suo.